

cis regimine nunquam colligatum, communione Ecclesiæ. *Gordonus Jesuita Tom. I. Controv. Contr. II. de Eccles. c. 1.* quinque proprietates Ecclesiæ allegat, colligationem tamen sub uno visibili capite inter eas referre non sustinet.

§. VII. Et vero, si illi solam Ecclesiam veram consti-
tuunt, qui ab eodem visibili capite, P. R. gubernantur, quid
fiet de Ecclesia V. T.? Quid dicendum de Ecclesia tempore
Christi & Apostolorum collecta, quando ne nomen quidem
Pontificum Rom. innotuit? Quid fiet de Græca, quæ nun-
quam R. P. imperium agnovit? Quid? si deficeret, aut la-
beretur in hæresin, quod fieri posse fatentur Pontificii *Can.*
si Papa Dist. XL. Bellarm. L. IV. de R. P. c. 2. resp. ad. 21. ubi
tunc maneret Ecclesia? Et, quo quæso in loco Scripturæ,
inter Ecclesiæ requisita refertur, *sub uno visibili capite vica-*
rioque J. C. in terris conjunctum, sociatumque esse? Quando,
& ubi hoc privilegium accepit Antistes Romanus, quod de-
beat reliquis omnibus, per totum terrarum orbem, Episco-
pis anteferri, & quod sibi debeat in eos imperium sumere,
quodque constitutus fit caput visibile totius Ecclesiæ, ipsius-
que adeo Servatoris in terris vicarius? Nondum evictum
est, Romanos Antistites Petri Apostoli successores esse: & si
vel maxime esset ostensum, quod illius successores essent
in cathedra, certum tamen, & explorato verum est, eosdem
non successisse omnes in doctrina. Quando enim, aut
ubi Petrus traditiones, præter Scripturam, ursit? Ubi adora-
tionem imaginum, & sanctorum invocationem laudavit?
Quo loco docuit, homines salvari per bona Opera, & stu-
dium charitatis? Ubi purgatorium, & septenarium sacra-
mentorum numerum statuit? Ubi is, contra expressam Ser-
vatoris voluntatem, calicem surripuit Laicis, aut commu-
nionem sub una approbavit, ut alia doctrinæ capita omitta-
mus.